



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Het Paradys der Geestelijcke ende Kerkelijcke
Lof-sangen/ op de principaelste Feest-daghen des
gheheelen Jaers**

Afhakker, Aegidius

Herzogenbusch, 1621

Psalmus 90.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55072)

Psalmus 90.

Qui habitat in adiutorio Altissimi : in protectione Dei cæli commorabitur.

Dicet Domino, Susceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus, sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium: & à verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi : & sub pennis eius sperabis.

Scuto circumdabit te veritas eius : non timebis à timore nocturno.

A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris: ab incurfu & dæmonio meridiano.

Cadent à latere tuo mille , & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

Veruntamen oculis tuis considerabis : & retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine spes mea: Altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum : & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis suis mandavit de te: ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te : ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

super aspidem & basiliscum ambulabis : & conculcabis leonem & draconem.

Quoniam in me speravit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum: & ostendam illi salutare meum.

Gloria Patri, & Filio.

Sicut erat in principio.

Psalmus 133.

Ecce nunc benedicite Dominum: omnes serui Domini.

Qui statis in domo Domini: in atriis domus Dei nostri.

In noctibus extollite manus vestras in sancta: & benedicite Dominum.

Benedicat te Dominus ex Sion: qui fecit caelum & terram.

Gloria Patri, & Filio.

Sicut erat in principio.

Miserere mei Domine & exaudi orationem meam.

In manus tuas Domine commendo spiritum meum. In manus, &c.

Redemisti nos Domine Deus veritatis commendo, &c. Gloria, &c. In manus.

Custodi nos Domine ut pupillam oculi. sub umbra alarum tuarum protege nos.